

dum, quod quando existunt, sunt bonæ non solum bonitate existentiae, sed multo magis bonitate essentiali, quia in ejus opinione est perfectior, quam existentia, aut si non est perfectior, est distincta ab existentia; ergo habet suam bonitatem sicut et perfectionem ab essentiali distinctam. Confirmatur ex p. Valentia. quia omnis creatura in quantum talis bona est, ut dicitur Genes. 1: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona*, et aliis locis, quæ supra adduximus, essentiali autem rei etiam seclusa existentia est creatura. Ergo bona, eadem quippe realitate, quia aliquid est ens, formaliter est bonum, et appetibile. Ergo essentiali ante existentiam est formaliter bona, quia formaliter ens, alias solum appetemus existentias, non res ipsas v. g. sanitatem, aut divitias, etc. Denique, Augustinus in lib. de natura boni, cap. 1, docet, quod omnis natura in quantum natura est bona, et frequenter contra Manichæos probat unamquamque rem esse bonam in genere suo.

XXI. Respondetur probare argumentum Molinæ, id quod jam supra diximus, quod ipsi essentiali, seu substantiæ correspondet sua bonitas, tamen illa non est perfecta simpliciter, sed radicaliter, et inchoative, quod est habere bonitatem secundum quid, id est, nondum perfectam, sed adhuc perfectibilem, et dependentem ab existentia, et aliis accidentibus, ut sit in statu appetibilis simpliciter.

XXII. Ad confirmationem respondetur omnem creaturam esse bonam actualiter, et consummate sub or-

dine existentiae, radicaliter autem, et inchoative etiam ratione essentiali, quæ est radix accidentium, a quibus redditur plene, et consummate perfecta. Et hoc modo omnia, quæ Deus fecit sunt valde bona, fecit enim ea cum existentia, et accidentibus debitis, non sine illis in pura ratione essentiali. Et hoc etiam modo Augustinus et alii patres dicunt omnes creaturas esse bonas, non tamen dicunt quod solum ratione essentiali secludendo existentiam et accidentia sint bona simpliciter. Et similiter eadem realitate, qua aliquid est ens, est bonum, scilicet, eadem realitate, qua est ens perfectum, est bonum perfecte, et simpliciter, ea autem realitate, qua est ens quantum ad essentialiam tantum, erit bonum radicaliter, et inchoative. Et sic appetitur res ipsa v. g. sanitas non quidem seorsum ab existentia, sed in ordine ad illam, neque existentia seorsum, sed existentia sanitatis, sed sine existentia, sanitas ipsa non est appetibilis actu, sed radicaliter eo modo, quo explicatum est.

XXIII. Ex dictis manet etiam soluta ratio patris Suarez disp. x, met. sect. III, num. xxv et xxvi, quæ reducitur ad prædictas, quia si essentiali est distincta ab existentia petit distinctam bonitatem, et perfectionem, sicut humanitas Christi etiam secundum se est bona, licet non habeat esse proprium, sed assumatur a divino. Ex dictis enim manet soluta ista difficultas, et distinguendo de bonitate radicali et secundum quid, vel actuali, et simpliciter, ut dictum est.

QUÆSTIO VII.

DE INFINITATE DEI.

De infinitate Dei acturus D. Thomas tacite omnem modum infinitatis ad infinitatem essentiali, seu substantiæ, et quantitatis reducitur, et de his agit in hac quæstione. Nam infinitas respectiva, seu relationis solum consistit in eo quod aliquid infinitum respiciatur ab alio, sive ut principium, a quo est, sive ut objectum, seu terminus, ad quem est, quia relatio non habet perfectionem suam, sive infinitatem, aut limitationem aliunde, quam ex fundamento, vel termino, et sic infinitas ista quæ a relatione præsupponitur, vel attingitur, est infinitas substantiæ, vel quantitatis. Quod vero qualitas possit etiam imaginari infinita, id vel reducitur ad infinitatem essentiali, vel quantitatis, quia si qualitas est infinita in actualitate, seu intentione formæ pertinet quasi ad ipsam essentialiam rei si in extensione ad plura pertinet ad modum quantitatis.

Igitur in articulo primo inquit Divus Thomas, utrum Deus sit infinitus, non determinate in hoc, vel illo attributo, puta sapientiæ, vel potentiæ, etc. sed absolute secundum infinitatem naturæ, vel essentiali, infinitas enim attributorum vel sumitur radicaliter a natura, cujus sunt attributa, vel formaliter ab objecto circa quod versatur, et ex sphaera, quam habent. Infinitas autem ipsius essentiali sumitur penes exclusionem terminorum essentialium, quæ metaphysice sunt genus, et differentia, physice vero materia, et forma, vel loco materiæ subjectum.

Supponit s. doctor quod omnes philosophi antiqui attribuerunt primo principio infinitatem. Sed quia aliqui dixerunt primum principium esse aliquid materiale, consequenter attribuerunt Deo infinitatem materialem, quæ imperfectionem dicit, quia materia perficitur per formam, sine forma vero privatur perfectione, et ideo finitas materiæ, quæ est per formam dicit perfectionem, infinitas vero per privationem formæ dicit imperfectionem. E contra vero forma per receptionem in materia imperficitur, per segregationem vero ab illa perfectior redditur, et sic infinitas formæ a materia conducit ad perfectionem. Inter omnes autem formas esse est actualissimum, et maxime formale unde cum Deus sit esse irreceptum in alio, necesse est, quod sit infinitum in ratione formæ, et actus maxime formalis. De vi hujus rationis, quia explicatione indiget statim agemus.

In secundo articulo ostendit D. Thomas nullam rem esse infinitam simpliciter secundum essentialiam nisi Deum. Nam materia si est infinita solum est infinita in potentia non in actu, in actu enim semper existit sub aliqua forma, infinitum autem in potentia solum est infinitum secundum quid. Forma autem si est recepta in materia manifeste est finita per ipsam receptionem. Si autem est extra materiam subsistens, vel recipit ipsum esse, vel non. Si recipit esse habebit esse finitum, quia receptum; essentiali autem ipsa secundum se, et sine esse solum erit infinita secundum quid, quia in potentia se habet ad esse. Si autem habet esse non receptum, est Deus, et sic solus Deus est ex omni parte infinitus in esse. Vis hujus ratio-

nis est connexa cum ratione præcedentis articuli, et sic simul cum in illa explanabitur sequenti disputatione.

In articulis tertio et quarto exclusa a creaturis infinitate secundum essentiam, excludit infinitatem secundum quantitatem, sive continuam, quæ est infinitas magnitudinis, sive discretam, quæ est infinitas numeri. Et in articulo tertio excludit infinitum in actu secundum magnitudinem tam a corpore naturali, quia infinitas repugnat mobilitati, quam a corpore mathematico, quia hoc non potest inveniri in re nisi subjectatum in aliquo corpore naturali. In articulo autem quarto excludit infinitum in actu secundum numerum tam per se, quam per accidens, quia infinitas repugnat cuicumque speciei numeri, seu multitudinis, et determinati intentioni producentis ipsum. Quas rationes tam circa infinitum magnitudinis, quam multitudinis examinavimus quæstione xv physicorum.

DISPUTATIO VII.

DE INFINITATE DIVINA ESSENTIÆ.

ARTICULUS PRIMUS.

An fundamentum infinitatis per essentiam recte sit assignatum a D. Thoma?

I. Duplex ratio, seu fundamentum assignatur a D. Thoma pro infinitate essentiali. Primum, ex carentia terminorum, quibus forma finitur modo physico, scilicet per receptionem in materia, vel per ordinem ad illam. Secundum, ex carentia terminorum, quibus res aliqua finitur, et limitatur modo metaphysico, scilicet ex defectu generis, et differentię, qui sunt termini limitantes metaphysice essentiam, et hanc tradit D. Thomas I contra gentes cap. XLIII, et supponitur hic tradita a D. Thoma supra quæst. I, art. v, dum ostendit Deum non posse poni in aliquo genere, vel specie, et sic sublatis terminis metaphysicalibus, solum restabat tollere terminos physicos, qui ad invicem se limitant, scilicet forma per materiam, et materia per formam.

II. Ut autem rationes D. Thomæ in forma ponantur, et instantiæ con-

tra illas facilius solvantur, solum oportet supponere qui sint termini finientes, seu limitantes essentiam aliquam, seu substantiam, ex illorum enim exclusione constabit infinitas alicujus substantiæ. Et præter terminos metaphysicos, scilicet genus, et differentiam, quibus res aliqua limitatur, et determinatur ad certam speciem, constat terminos physicos substantiæ, seu essentiæ non posse sumi, nisi ex parte materiæ, seu subjecti, et formæ, quia per hæc duo constituitur res physice in suo esse. Et videmus formam reducere per suam actualitatem, et determinare potentialitatem subjecti ad determinatam perfectionem, et speciem, e contra vero materia, seu subjectum limitat formam, quia unumquodque recipitur ad modum recipientis, sicut liquor in vase ad ejus mensuram se accommodat, et unum accidens in uno subjecto est perfectius, quam in altero. Et generaliter ex conjunctione duorum, seu mixtione ad invicem se limitant, et determinant. Quare etiam forma substantialis, seu essentialis ex materia in qua recipitur, determinabitur ad modum recipientis, et coarctabitur in explicando magis, vel minus suam perfectionem, et virtutem, et similiter materia ex ipsa forma determinatur ad talem, vel talem actualitatem participandam.

III. Supponit ergo D. Thomas

Deum carere limitatione ex parte generis, et differentię, ut probatum est supra, quæstione III, art. v, et I, contragentes capite XLIII, citato, et ideo hic omisit illam rationem, et solum voluit probare Deum non esse finitum ex alio capite, ex quo potest essentia aliqua finiri quantum ad actum, seu perfectionem, quam habet, nam ex parte materiæ constat Deo non posse tribui infinitatem, quia infinitas Dei non est secundum potentialitatem, et materialitatem, sed secundum perfectionem, et actualitatem, si quidem est actus purus. Et sic probat in præsentia, et loco citato contra gentes ratione secunda, Deum in ratione actus, et formæ esse infinitum, quia nulla forma, neque actus in Deo est recepta. Et hoc probatur sic, quia existentia si non sit recepta, in aliqua natura, vel forma a qua distinguitur, non habet limitari ratione subjecti recipientis, quia caret illa, et in hoc convenit cum aliis formis carentibus subjecto, seu materia, sicut Angeli: sed ulterius distinguitur in hoc, quod aliæ formæ etsi non recipiantur, possunt tamen recipere ipsam existentiam, et alias formas accidentales, et ex hac parte non carent omni forma recepta. At vero existentia est formalissimus actus omnium, et terminus ultimus, unde est capax recipiendi aliam existentiam, vel formam, ergo si est irreceptibilis, debet esse ex omni parte infinita, quia neque in se recipitur, neque admittit aliam formam, quæ recipiatur, et limitetur. Sed in Deo datur existentia irrecepta, quia est actus purus in toto genere entis omni potentialitate, et materialitate carens, ergo talis forma est ex omni parte infinita, si quidem neque est in se recepta, nec habet in se potentialitatem, ut aliam formam recipiat, et sic ex omni parte est infinita, quia nihil habet receptum,

actus autem, seu forma, quæ non limitatur ex genere, et differentia non potest limitari nisi ratione subjecti, ergo si hoc caret ex omni parte, undique est infinita.

IV. Contra istam rationem obijciunt Scotus, Vazquez et alii. Et fere tota vis argumentorum tendit ad destruendum, quod esse aliquid receptum, sit ratio, quare sit infinitum. Primo, quia forma antequam sit recepta in aliquo est in gradu determinato entis, sicut albedo est in genere coloris antequam recipiatur in corpore. Ergo ex alio principio sumitur limitatio, quam ex receptione. Secundo, quia Angelus est forma non recepta in materia, et tamen essentia ejus est finita. Ergo receptio non conducit ad infinitatem, nec receptio ad finitatem. Quod vero esse Angeli sit receptum, et ideo limitatum non obstat, quia esse est posterius essentia, et secundum D. Thomam distinctum ab essentia, ergo ante ipsum debet essentia esse finita ex alio principio, quam ex receptione, vel si est infinita ratione essentiæ postulabit esse finitum, vel manebit essentia in linea, et ratione essentiæ infinitæ, quidquid sit de existentia. Hoc eodem argumento utitur Vazquez addens, quod quia existentia non distinguitur ab essentia, ideo si essentia est irrecepta etiam existentia. Quod vero habeat genus, et differentiam non obstat, quia hæc solum componunt per rationem, compositio autem rationis Deo non repugnat. Eadem ratione utitur p. Suarez disputatione xxx, met. sect. II, quantum ad hoc, quod non requiratur aliquid realiter recipi in alio, ut finiatur ab alio, quia existentia non recipitur realiter in essentia, cum non distinguitur ab illa realiter. Unde dicit non requiri ad limitationem, et finitatem, ut aliquid recipiatur realiter in alio, sed sufficit, quod sit ab alio factum,

et dependens, sicque in mensura determinata recipiat perfectionem, suaque propria differentia limitetur, etiamsi non sit receptivum ipsius existentiae. Tertio, quia non est satis constans finiri aliquid, et limitari ex eo, quod recipiatur in alio v. g. forma in materia, vel esse in essentia, quia licet ita mutuo determinantur ad componendam unam tertiam entitatem, quæ ab aliis sit distincta, ex hoc tamen non fit rem illam esse finitam, ut falso Ferrariensis I contra gentiles, capit. XLIII, nam non est aliquid finitum ex eo, quod distinguatur ab alio, nam Deus est distinctus a reliquis omnibus, nec tamen est finitus.

V. Ad primum respondetur ex dictis formas esse in duplici genere, alias prædicamentales, quæ constant genere, et differentia, et tales habent suam limitationem metaphysicam in ratione generis, et differentiae sibi intrinsecam, et in talibus formis non quæritur finitas, vel infinitas illarum simpliciter, et in genere entis ex receptione, sed supponitur finita ex ipsa limitatione generis, et differentiae, et solum potest infinitas in tali genere inquiri ex irreceptione in subjecto. Aliæ vero formæ sunt non prædicamentales, nec ex genere, et differentia constantes, sicut existentia, quæ est actus entis in universali, et per omnia prædicamenta transcendit, et tales non possunt limitari, et finiri nisi ex receptione, vel ordine ad subjectum, seu materiam. Quod si nullam habeat receptionem, nec potentialitatem ad recipiendum, talis forma erit undique infinita, quia caret omni principio limitante. Cum ergo D. Thomas reliquerit probatum, quæstione III, articulo V, Deum carere genere, et differentia, solum restabat in præsentibus inquirere, an esset finitus ex aliqua receptione, qua exclusa, quia est actus purus, restat

undique probata ejus infinitas essentialis.

VI. Ad secundum respondetur, quod ut sæpe diximus, Angelus licet non sit forma recepta, est tamen forma recipiens, et consequenter potentialitatem habens ad ea, quæ recipit. Unde petit esse limitatum hoc ipso, quod petit illud receptum, et sic non ex omni parte est infinita illa essentia, cum dicat ordinem ad esse finitum, non potest autem esse finita essentia, quæ talem habet potentialitatem, ut dicat ordinem ad esse finitum. Unde cum dicitur, quod esse est posterius essentia, respondetur quod esse secundum se est posterius essentia, sed ordo ad esse in ipsa essentia imbibitur, et ita si esse est receptum, et consequenter finitum, ordo essentiae recipientis ad illud etiam constituet essentiam limitatam, utpote ordinatam ad limitatum esse.

VII. Ad id quod addit p. Vazquez negatur existentiam non distinguab essentia creata, ut superius satis probatum est, sed quia hoc in opinione aliquorum versatur, et infinitas Dei non debet probari dependenter ab aliqua opinione. Adde quod in opinione non distinguente existentiam ab essentia actuali adhuc urget ratio D. Thomæ, quia licet existentia entitative sit idem cum natura subsistente, tamen illud exercitium procedendi ab alio per productionem, dependenter habetur ab actione alterius, et sic accidentaliter convenit ipsi rei productæ, et sic est receptum objective, et participative, licet non sit subjective. At vero cum ipsum esse est subsistens taliter quod neque quoad suam entitatem, neque quoad suum exercitium processionis, et productionis ab alio habet esse receptum, et accidentaliter conveniens, tam subjective, quam objective, tale esse caret omni limitatione, quia nullo modo

est receptum etiam objective. Quod patet a signo, quia tale esse non habebit operationem, vel aliquod accidens in se receptum: si enim in suo produci non dependet objective ab alio, neque in aliqua perfectione sui, vel operatione dependebit. Quare hoc ipso quod forma aliqua est ipsum esse optime probatur esse infinitum, quia non est esse receptum neque subjective, neque objective, licet apud D. Thomam non stet aliquid esse recipi objective, quin etiam sit distinctum ab essentia, et recipiatur subjective.

VIII. Ad id vero quod dicitur ex p. Suarez, solutum manet ex dictis, dicimus enim, quod licet ad finitatem sufficiat aliquid esse factum, et dependens ab alio, tamen hoc ipso etiam est receptum, quia non est ab alio, nisi contingenter, et accidentaliter conveniat alicui.

IX. Ad tertium respondetur in hoc nullam posse esse dubitationem, quod materia limitet formam, et forma materiam, tum quia ab invicem sunt dependentes saltem in modo causandi, et essendi: tum quia omne recipiens ut tale, potentialitatem habet, neque enim recipit aliquem actum, nisi in quantum est in potentia ad illum, actus autem receptus in potentia, hoc ipso non est actus purus, quia conjungitur potentialitati, ergo est minor actu puro, et consequenter limitatus, limitatur ergo a potentialitate recipiente; tum denique quia omne, quod recipitur ad modum recipientis se accommodat, et omne recipiens juxta formæ determinationem actuatur, neque est a se, sed dependenter ab alio, cum quo communicat et ex ipsa conjunctione ad invicem suas condiciones communicant, et miscent, ergo limitant se, quia non relinquunt unumquodque in sua puritate, sed mixtum, et limitatum cum alio. Quare dubitari non potest,

rationem receptionis, et compositionis sufficere ad limitationem, nec sine limitatione posse intelligi. Nec nos dicimus ideo aliquid esse finitum, quia distinguitur ab alio, sed ex eo, quod recipiatur in alio, et communicetur ei, ita quod aliqua imperfectio illi admisceatur, si enim nulla admiscetur, imperfectio, aut potentialitas in aliquo genere, totum quod habet, erit perfectio; nulla autem perfectio finitur per accumulationem perfectionis, sed per detentionem perfectionis, aut aliquam carentiam illius.

X. Sed adhuc instabis: Nam passio recipitur in suo subjecto, et tamen ex eo, quod sit in subjecto naturali non finitur, sed potius ita perficitur, quod non potest crescere, ut de luce existente in sole, et gratia habituali in anima Christi, docet D. Thomas III p. q. VII, art. XI, ita ut non possit lux illa, neque gratia ista crescere non minus, quam si esset separata, ergo receptio non semper conducit ad imperfectionem. Confirmatur, quia accidens separatum a subjecto, et non receptum non propter hoc est perfectius, ut quantitas separata in eucharistia, aut calor si esset separatus non esset infinitus. Et materia prima in nullo recipitur, et tamen infinita non est, ergo irreceptio non est ratio infinitatis. Cujus ratio esse potest, quia non recipi præcise est negatio, ergo non potest esse ratio perfectionis absolute loquendo, quanto magis infinitæ.

XI. Respondetur, quod propriam passionem perfici in proprio subjecto intelligitur non absolute, sed comparative ad subjectum extraneum, a quo imperficitur per commixtionem sui contrarii, in subjecto autem proprio magis ab illo depuratur, et aliquando habet summum gradum, quem naturaliter habere po-

test. Nec tamen hoc contingit in omni subjecto proprio, nec semper, nam licet in sole lux semper inveniat eodem modo, quia est subjectum incorruptibile, tamen in igne calor in summo (quæ est propria passio ejus) non semper invenitur, sed quando est ignis in suo naturali statu, quando enim est via corruptionis, degenerat a calore summo, sicut aqua amittit aliquando frigiditatem in summo, vel humiditatem. Et risibilitas est propria passio hominis, non tamen est in summo in quolibet homine, sed unus est magis risibilis, quam alter. Sed dato quod propria passio in suo subjecto connaturali, et in statu naturali posita habeat majorem perfectionem, quam naturaliter habere potest, quantum ad depurationem a suo contrario, tamen alias limitationes habere potest ab illo, sicut est limitatio informationis, ne pluribus communicetur, et limitatio operationis ut circa minorem spheram operetur, si subjectum sit modicæ quantitatis, et limitatio intensionis, quia in hac per potentiam absolutam potest crescere, ut de luce solis fatetur D. Thomas in addition. q. LXXXV, art. III, et de visione beata Christi III p. q. X, art. IV ad III, unde gratia Christi licet habeat infinitatem respectivam respectu dignitatis Verbi, et sit plena quoad omnes effectus gratiæ, et quoad depurationem a suo contrario, id est, a culpa, tamen in intensione entitativa de potentia absoluta crescere potest, ut suo loco dicemus. Aliam limitationem præter istas habet existentia ex eo quod est in subjecto creato, scilicet reduci, et limitari ad speciem naturamque subjecti quia in suo conceptu caret specie determinata, cum sit actus entis ut ens est, ratione autem subjecti est talis, vel talis speciei, ut affirmat D. Thomas, quæst. XXI de verit. art. II ad IV.

XII. Ad confirmationem, respondetur accidens in eucharistia separari actu a subjecto non aptitudine, et sic limitari ab illo ex ordine quem dicit ad illud, et similiter anima separata ex ordine ad corpus. Angelus autem caret omni ordine ad materiam, et ex hac parte quamdam habet infinitatem, sed non simpliciter in genere entis, quia forma, quæ est existentia habet limitatam, quia receptam in se, et sic habet potentialitatem, et ordinem ad esse limitatum. Materia prima licet non sit recepta, non tamen est actus, neque forma, et sic ista irreceptione non habet infinitatem perfectionis, sed potentialitatis. Unde licet sola negatio receptionis ut sic non adstruat infinitatem perfectionis, bene tamen negatio receptionis in actualitate nihil amplius recipiente.

XIII. Secundo, objicit Vasquez disp. XXV, cap. III, contra rationem D. Thomæ I contra gentes c. XLIII, ubi probat Deum esse infinitum, quia non est limitatus ad aliquod genus, sed perfectiones omnium generum continet, omne autem finitum est in aliquo genere, definitur enim per genus, et differentiam, ergo Deus infinitus est et finitate caret, sicut et definitione. Contra hoc instat Vasquez primo, quia non repugnat Deum poni in genere, seu constare genere, et differentia, hæc enim compositio est per rationem, non realis, et sic potest competere naturæ infinitæ sine aliqua læsione simplicitatis ejus, et dari aliquem conceptum communem genericum naturæ finitæ, et infinitæ. Neque esse contentum prædicamento obstat infinitati, nam ut si aliquid in prædicamento sufficit habere prædicata quidditativa superiora, et inferiora constitutiva essentiæ, quod etiam rei infinitæ competit. Secundo, quia Deum non definiri solum arguit Deum esse supra intellectum

humanum, qui non potest illum definire, non vero quod sit infinitus in se, potest enim dici quod Deus definitur a se ipso, sicut a se comprehenditur. Et si dicatur intellectum divinum esse infinitum, hoc restat probandum, cum infinitas intellectus pendeat ex infinitate essentiæ. Denique, dici potest clare videri quoad suam quidditatem a visione finita beati, ergo potest ab illo definiri. Patet consequentia, quia definitio rei est illa, quæ solum prædicata quidditativa complectitur, hæc autem omnia attingit visio beata. Nec requiritur quod comprehendat, quia ad definitionem sufficit quidditativa cognitio, non comprehensiva.

XIV. Ad primum respondetur jam supra disputatione IV ostensum esse, quomodo repugnat Deum esse in genere, quia debet esse tamquam species quæ consurgit ex differentia contrahente genus, et consequenter tale genus dicit potentialitatem ad differentiam, potentialitas autem repugnat actui puro. Similiter species constituitur unica differentia, non autem omnes differentias sub suo genere contentas includere potest, sic enim non esset una species, sed plures. Si autem non includit omnes differentias, non includit omnes perfectiones pertinentes ad tale genus, et sic non est infinitum simpliciter in tali genere. Nec obstat quod sit compositio per rationem, quia debet esse per rationem cum fundamento, alias esset ficta. Ex parte autem fundamenti compositionis genericæ datur aliquid repugnans Deo, scilicet potentialitas contrahibilis, et determinabilis per differentiam, quod omnino repugnat actui puro. Unde non ponimus repugnantiam essendi in genere ex eo præcise, quod aliquid sit infinitum, sed ex eo quod sit infinitum per modum puri actus, et excludendo omnem

potentialitatem in toto genere entis.

XV. Ad secundum respondetur D. Thomam non asserere Deum esse infinitum, quia non definitur, seu non manifestatur ejus quidditas, sed quia tali modo non definitur, scilicet definitione constante ex genere et differentia, actu et potentia, qui sunt termini non solum definientes, sed etiam finientes, et limitantes quidditatem. Hoc autem modo neque a nobis, neque a se ipso Deus potest definiri, quia nec limitari. Non ergo probamus, quod Deus sit infinitus, quia a nobis diffiniri non potest, sed quia per actum, et potentiam, genus, et differentiam non potest diffiniri, unde non indigemus probare, quod intellectus divinus sit infinitus, sed solum quod ipsa essentia non sit definibilis per terminos limitantes essentiam. Ad id quod dicitur de intellectu beati, respondetur quod ille potest quidem definire quidditatem, quam videt, sumendo ly definire pro eo quod est explicare essentiam, non autem sumendo definire pro eo, quod est reducere quidditatem ad terminos limitantes, sicut sunt actus, et potentia, sic non potest intellectus beati definire Deum, sed infinitum relinquit, licet non indefinitum.

XVI. Ex dictis ferri potest iudicium de aliis rationibus, quibus probari solet infinitas divina ab aliis auctoribus, et plures ex illis affert D. Thomas I contra gentes, c. XLIII, sed sunt rationes quasi a posteriori: istæ autem quas hucusque explicavimus sunt quasi radicales, et fundamentales, et ideo difficiliore ad penetrandum. Non potest autem probari infinitas divina ex aliquo effectu infinito a se producto, quia talis non datur v. g. infinitus numerus, vel quantitas, etc. sed solum potest probari vel ex modo ope-

randi, quia exigit infinitatem virtutis, et consequenter essentiali, ad quam sequitur virtus, vel ex modo essendi, quia caret principiis finientibus aliquam essentiali, quales sunt genus et differentia, actus, et potentia, recipiens, et receptum.

XVII. Igitur Molina in præsentis quæstione, disputatione unica postrelatas varias rationes ad probandum infinitatem Dei, et ab eo reprobata, illam solum efficacem reputat, quæ deducitur ex modo operandi Dei, qui creat, et producit ex nihilo, ad hoc autem requiritur infinita virtus simpliciter, ergo infinita essentiali, si quidem virtus sequitur essentiali. Minor vero constat, quia inter nihil, et ens est infinita distantia, et improportio, ergo virtus vincens talem distantiam debet esse infinita, quia tanto major est virtus, quanto majorem improportionem vincit ad effectum. Hæc ratio adducitur a D. Thoma 1 p. quæst. XLV, ar. v, ad probandum quod nulli creature potest convenire virtus ad creandum, quia requiritur infinita virtus. Eadem ratione usus est D. Thomas 1 contra gent. cap. XLIII, ratione IV circa finem. Sed tamen ista ratio est a posteriori, nec tradit fundamentum, et rationem infinitatis essentiali sed effectum, et consecutionem, sequitur enim ex essentiali infinita, virtus infinita.

XVIII. P. Vazquez hic disput. xxv, cap. v, eam rationem tradit infinitatis Dei secundum esse, quia non est ab alio, ut a causa efficiente, ergo non habet, a quo limitetur in esse, esse autem omnino independens infinitum est. Eademque rationem confirmat p. Suarez disp. xxx, met. I, sect. III. Quæ ratio procedit ex ipso modo essendi independentem. Hanc etiam rationem affert D. Thomas citato loco contra gent. ratione v quia: « Oportet, in-

quit, esse limitatum limitari per aliquid aliud, quod sit causa illius esse, vel receptivum ejus, sed esse divini non potest esse aliqua causa, quia ipse est necesse per se ipsum, nec esse ejus est receptivum, cum ipse sit suum esse. » Ubi tamen s. doctor ut etiam ibi Ferrariensis notat non procedit ex præcisa negatione causæ recipientis, licet enim omne quod est actu, et dependens ab alio ut ab efficiente, etiam sit limitatum et finitum, tamen non est hoc quasi per locum intrinsecum, nisi addatur id quod addit D. Thomas quod sit esse non receptum. Tum quia isti sunt termini essentiali (scilicet actus, et potentia, receptio, et receptibilitas) et consequenter per eorum remotionem debet intrinsece probari remotio infinitatis, seu infinitas ipsa: tum quia per hoc quod esse sit irreceptum est immixtum omni potentialitati, et consequenter habet omnem actualitatem illius formæ, seu actus, qui est esse, et sic habet omnem perfectionem in genere entis, atque adeo in tali genere non limitatur, cum esse sit formalissimum, et universalissimum omnium, et sic redditur simpliciter, et in toto genere entis infinitum. Ex eo autem quod res sit independens ab aliquo efficiente solum sequitur, quod a causa extrinseca non limitetur, restat vero probandum quod per causam intrinsecam non limitetur, posset enim aliquis dicere, quod licet aliquid sit factum ab alio, tamen intrinsece est infinitum, quia accipit ab alio efficienter totam infinitatem, quæ in illo est, et sic habet esse non receptum, nec limitatum intrinsece, restabat ergo hoc probare. Et similiter e converso, si haberet esse receptum in sua essentiali, et ab illa distinctum, licet a nullo esset factum, adhuc esset ens limitatum propter principia intrinseca limitationis penes actum recep-

tum, et potentiam recipientem, ergo non probatur infinitas simpliciter in esse, quamdiu non probatur per causam intrinsecam hujus infinitatis. Denique, restat probare, quod aliquid factum, et productum, non possit esse infinitum, posset enim aliquis dicere, quod Deus est agens infinitum univocum, et sic posset producere rem infinitam in se, et quamdiu hoc non destruitur, illa consequentia est infirma, est factum; ergo finitum, non factum, ergo infinitum. Itaque nisi addatur id quod D. Thomas addidit, scilicet quod sit esse, et non ab alio, nec receptum in alio, probatio est inefficax.

XIX. P. Suarez iterum in III lib. de attribut. Dei, cap. I, probat Deum esse infinitum, quia est id, quo majus excogitari non potest, non autem esset talis si non esset infinitus, quia supra quodlibet finitum addi potest, et aliquid majus excogitari, ergo debet esse infinitus. Hanc etiam rationem proponit S. Thomas 1 contra gent. cap. XLIII, præsertim ratione VII et VIII. Sed tamen hæc ratio non ostendit fundamentum ipsum, et rationem infinitatis essentiali in Deo, quia non procedit ex ipsa carentia terminorum limitantium essentiali, sed ad summum

probat infinitatem negativam, et syncategorematicam, scilicet quod nihil majus Deo potest dari, vel cogitari, sed quolibet dato melior est Deus, infinitatem autem positivam, et categorematicam non videtur directe probare, licet enim non possimus aliquid majus Deo cogitare, diceret tamen aliquis, quod etiam non possumus infinitum categorematicæ, et positive cogitare. Quod vero dicitur ad finitum semper aliquid addi posse, verum est, sed non sequitur, quod hoc modo pervenimus ad aliquid infinitum categorematicæ, et simpliciter, quia infinitum per additionem est impertransibile, sed solum quod nunquam sistemus in aliquo finito, cui non possit fieri additio ex parte nostræ cogitationis, sed quod in re possit additio fieri, quod perveniat ad infinitatem categorematicam, et positivam non potest efficaciter probari nisi recurriendo ad fundamentum positum de carentia terminorum essentialium.

XX. Sequebatur agere de infinito creato secundum numerum, vel magnitudinem, an sit possibile sed de hoc egimus, quæstione XV physicorum, ubi rationes D. Thomæ exposuimus, neque aliquid addendum occurrit.